ZU DER ÖFFENTLICHEN PRÜFUNG DER ZÖGLINGE DES BERLINISCHEN...

Zu der

öffentlichen Prüfung

der

Zöglinge des Berlinischen Gymnasiums

zum grauen Kloster,

welche

Sonnabend, den 12. April 1851,

Vormittag von 9 bis 12 Uhr mit den oberen Klassen

von Unter-Tertia bis Prima,

und

Nachmittag von 2½ bis 5 Uhr mit den unteren Klassen

von Sexta bis Ober-Quarta

im

Hörsaale veranstaltet werden soll,

ladet

die hohen und höchsten Behörden

so wie

alle Gönner und Freunde des Schulwesens

ehrerbietigst ein

der Director

Dr. Friedrich Bellermann.

Berlin, 1851.
Gedruckt in der Nauckschen Buchdruckerei.

DE

PROVINCIALI SUMPTU

POPULI ROMANI.

Tria omnino genera erant, in quibus per senatum more maiorum statueretur aliquid de provinciis ordinandis: unum erat de nominandis, alterum de ornandis provinciis, tertium erat eius modi placere magistratus sortiri vel inter se comparare provincias. Quibus ex generibus quamquam solam ornationem hoc loco spectamus, ornare enim dicebatur senatus provinciam, quotiens instruebat exercitu sumptu aliis ornamentis, tamen ceterorum quoque ratio diligenter habeatur necesse est, quibus incognitis nec quando facta sit nec qualis fuerit ornatio satis dilucide perspiciatur.

Totius autem negotii ratio et ordo aliter alio tempore videtur se habuisse. Sexto quidem urbis saeculo, ex quo tempore res Romanae a Livio uberius conscriptae atque illustratae sunt, consules Idibus Martiis, quo die fere solebant magistratum inire, de republica bellisque gerendis, de provinciis exercitibusque, quantum copiarum et ubi quaeque essent patres in Capitolio consulebant. Communis erat de provinciis consulum relatio, nec de suis modo, sed etiam de provinciis praetorum eorumque quibus imperium prorogaretur [1]). Senatus deinde nominabat provincias minoris negotii praetoribus, maioris, imprimis ubi bellum gerendum esset, consulibus; reliquas prorogabat iis qui proximo anno iis praefuerant [2]). Quo facto, nisi consules alter ambove nominatas provincias aspernati senatusconsulto intercesserant, praetores sortiri, consules aut sortiri aut inter se comparare provincias iubebantur; interdum tamen, ubi in periculis et asperis temporibus sortis incerto eventui rempublicam committi non placuerat, sine sorte nominatim provinciae datae sunt magistratibus. Quotiens igitur nominaverat tantum, non nominatim assignaverat senatus provincias, consulibus statim, praetoribus sortitione demum facta decernebat exercitus aliaque provinciae ornamenta; quotiens vero vel nominatim provincias consulibus dederat vel eandem utrique decreverat, ita ut sortitione opus non esset, simul consulares et praetorias

[1]) Liv. 26, 28; 38, 42; 24, 43.

[2]) Liv. 33, 43. Unde factum est, ut saepius eadem provincia alio anno consularis esset, alio praetoria.

provincias ornabat, postquam praetores sortiti erant[3]). Consulibus enim priusquam sortirentur provincias ornari placuit, ne quid gratia momenti faceret; praetorum autem ratio ideo dissimilis fuit, quod eos, ne iurisdictio intermitteretur, primo quoque tempore sortiri oportuit[4]). Ceterum quin eo tempore consulibus non secus ac praetoribus sumptus et in annos singulos et initio cuiusque anni decretus sit nihil habet dubitationis, cum provinciae magistratibus continuo adeundae essent et omnes quotannis ornatae esse tradantur.

Mos quem modo descripsimus mansit usque ad septimum urbis saeculum. Posteaquam vero institutis quaestionibus perpetuis praetores in urbe magistratum gerere oportuit, et paulo post propter rerum urbanarum perturbationem ut consules quoque defuncti magistratu in provincias proficiscerentur in consuetudinem venit, non potuit fieri quin et de distribuendis ornandisque provinciis multa immutarentur. Mutandi initium fecit C. Gracchus, qui legem pertulit ut ante comitia consularia provinciae futuris consulibus decernerentur. Iunio igitur aut Quintili mensibus exinde provincias nominari oportuit, quas consules non proximo sed tertio demum anno defuncti magistratu adirent. Hoc cum Gracchus ne postea in decernendis provinciis gratia regnaret instituisset, quod antea eandem ob causam cautum erat, ne consules nisi ornatas provincias sortirentur, id iam sine magno periculo negligi potuit. In morem igitur venit ut consules provincias sortirentur antequam ornatae essent, plerumque etiam antequam ipsi magistratum inissent[5]), id quod antea nisi difficili reipublicae tempore factum non est. Haec de consularibus provinciis immutavit lex Sempronia. Ad praetorias pertinuisse non videtur. Verum cum consulares provinciae decerni vix possent, quin de praetoriis simul constaret, praetoriae eodem fere tempore nominari et, nisi quid moram attulerat[6]), paulo post in sortem coniici solebant, ita tamen ut non qui designandi essent sed qui tunc essent praetores eas sortirentur et proximo anno susciperent[7]). Quando deinde ornatae sint provinciae si quaerimus,

---

[3]) Hunc ordinem tamquam usitatum et legitimum patres servasse, ex iis quae initio cuiusque anni de distributione provinciarum Livius tradit recte nobis videmur collegisse. Neque tamen negamus, patres interdum ad novos casus temporum novorum consiliorum rationem accommodasse, nam in pace illi quidem consuetudini, in bello vero utilitati parere solebant.

[4]) cf. Liv. XLIII, 12 et 15.

[5]) Cic. ad Att. III, 24: ***Nunquam***, inquit, ***arbitror ornatas esse provincias designatorum;*** a Sallustio vero Iug. 27 Metellus et M. Silanus, a Cicerone in Verr. III, 95 Hortensius antequam consulatum inissent provincias sortiti esse traduntur.

[6]) Ita factum est ut praetores anni 692 ante mensem Martium anni sequentis provincias non sortirentur (Cic. ad Att. I, 13 et 15), fortasse quod Piso consul in provincia a senatu decreta non acquiescens Syriam concupivit, quam si impetrasset provinciam, in praetoriis mutari quiddam oportuit. cf. ad Att. I, 16, 8.

[7]) Anno 698 cum de provinciis consularibus in senatu ageretur, Cicero hac de re verba faciens ei, qui Syriam et Macedoniam praetorias provincias decernere voluit, in or. de prov. cons. 7 opposuit, tum tribunum quendam, quem digito demonstravit, intercessurum esse. Ille vero, cum ei Id. Dec. magistratu abeundum esset, intercedere non potuit, si sequenti demum anno praetoriae provinciae essent nominatae. Item M. Cato provinciam ex praetura sibi delatam, nisi in ipso magistratu accepisset, deponere non potuit, id quod teste Plutarcho c. 45 fecit, cum anno sequenti

praetoriarum quidem ratio aperta est; nam mense Februario anni 693 senatus et de provinciis praetorum et de legationibus et de ceteris rebus decrevit ut ante quam rogatio de iudicio Clodiano lata esset ne quid ageretur, et anno 698 eodem mense reiectis legationibus in Idus relatum est de provinciis quaestorum et de ornandis praetoribus [8]). Neque de consularibus provinciis res obscura est aut difficiles explicatus habet. Quoniam enim consules, teste Livio 40, 36, iure suo postulare poterant, ut priusquam de praetorum exercitibus ageretur suae provinciae ornarentur, quoniam deinde et imperatorum qui stipendium postularunt literae initio anni in senatu recitabantur [9]) et legationibus mense Februario quotidie senatum dari ex lege Pupia oportebat, ita ut primi cuiusque anni menses tractandis iis rebus quae ad provincias et exteras gentes pertinerent destinati fuisse haud temere existimentur; consentaneum videtur esse consulum quoque provincias, eorum quidem qui legem curiatam de imperio suo antea pertulissent [10]), eo ipso tempore esse ornatas. Qua in re non est quod miremur, integro fere anno ante quam consules ex urbe exirent provincias esse ornatas. Primum enim quominus in ipso magistratu consules in provincias proficiscerentur, leges quidem non fuerunt quae obstarent [11]). Deinde ipsis Kalendis Ianuariis consules provincias vacuas habere oportuit, sine dubio ne si exire ipsis placeret impedirentur [12]). Denique provinciae decretae etiam illo anno quo consules in urbe magistratum agebant consulares esse existimabantur, unde factum est ut Caesari, cui lege Vatinia anno 695 lata in quinquennium provinciae demandatae erant, iam Kal. Martiis anni 700 illud quinquennium expletum esset [13]), quamquam Aprili demum mense anni 696 in provinciam advenerat.

---

consules septimo demum mense magistratum inirent, provinciae autem omnino non distribuerentur (cf. Dio. XL 46 et 56). Denique annis 691 et 695 provinciae praetorum, antequam magistratu se abdicaverant, non solum nominatae sed etiam in sortem coniectae sunt, id quod colligi potest ex Cic. ad fam. V, 2 et ad Qu. fr. I, 2, 3.

[8]) Cic. ad Att. I, 15 et ad Qu. fr. II, 3.

[9]) Liv. XXIII, 21, XL, 35. Sall. frg. p. 244 ed. Gerlach et ibidem p. 230 epistola Pompeii, de qua initio anni relatum esse confici potest ex Plut. Luc. 5.

[10]) Quod statuimus cognoscitur ex Cic. ad Att. IV, 16, 18, ad fam. I, 9, 25, ad Qu. fr. III, 2. De ipsa autem lege curiata hoc loco disserere non placuit, partim quod minus necessarium est proposito nostro, nam quin illa lex plerumque initio anni lata sit dubitari nequit, partim quod res est multum et saepe quaesita atque adeo obscura, ut nihil fere excogitari possit quod non incurrat in magnam aliquam difficultatem.

[11]) Cic. ad fam. XII, 14: *Quare non puto Pansam et Hirtium in consulatu properaturos in provincias exire, sed Romae acturos consulatum.* M. Crassus autem non solum in consulatu circa Kal. Dec. exiit Roma (ad Att. IV, 13), sed antea iam legatum miserat qui suo loco Gabinio succederet (Dio XXXIX, 60).

[12]) cf. Cic. or. de prov. cons. c. 15 cum nota Garatonii.

[13] Cic. l. l. Ex eadem re explico, quid sit quod P. Servilius Isauricus consul a. 675, quamquam ab anno 676 usque ad 679 provinciam Ciliciam administravit, quinquennium exercitui praefuisse dicatur a Cic. in Ver. III, 90, et quod Caesar legem tulerit, ne praetoriae provinciae plus quam annum neve plus quam biennium consulares obtinerentur.

Restat iam ut quaeramus in quod tempus illa aetate magistratibus sumptus decretus sit. Qua in re nihil novatum esse videtur ante legem Corneliam anno 673 latam de provinciis ordinandis. Posteaquam autem Sulla instituit, ut praesides provinciarum imperium, etiamsi nominatim prorogatum non esset, haberent donec successor a senatu missus esset [14]); hoc quidem impedimento non fuit quominus in annos singulos, ut antea moris fuerat, sumptus decernerentur, oportuit autem magistratui permitti, ut quotquot annos provinciae praeesset totiens sumptum semel decretum erogaret [15]). Cui sententiae per se probabili non repugnat, quod Pompeius, Cornificius, Caesar, quamquam ornatas provincias habuerunt, tamen pecunias a senatu flagitarunt [16]). Fieri enim potuit, primum ut unde attributa erat erogari pecunia non posset, quae Pompeio causa fuisse videtur denuo senatum adeundi; deinde ut maiorem militum numerum quam quem senatus decreverat imperatores alerent, id quod Caesari accidit et Cornificio. Difficillimum autem est exempla huius rei afferre, propterea quod veteres scriptores perraro eam attingunt. Mihi quidem impigre circumspicienti hoc unum tantum se obtulit. M. Cicero, cum decessurus quem provinciae praeficeret valde laboraret, haec scripsit ad Att. VI, 3: *Cum bellum esse in Syria magnum putetur, id videatur in hanc provinciam erupturum, hic praesidii nihil sit, sumptus annuus decretus sit: videaturne aut pietatis esse meae fratrem relinquere aut diligentiae nugarum aliquid* (dicit Coelium quaestorem) *relinquere?* Quo loco res in eo vertitur, ut verba *sumptus annuus decretus sit* recte intelligantur. Quorum quae prima quaerenti occurrit explicatio, haec est Manutii ceterorumque quod sciam interpretum: sumptus in annum tantum decretus est ideoque circumacto iam anno frater pecunia publica prorsus destitutus erit. Facilis sane et ad verba accommodata interpretatio, minus tamen probabilis vel dicam prorsus reiicienda, si ad rem ipsam animum adverteris. Primum enim parum credibile videtur, ne decretum quidem esse sumptum proconsuli tam necessario tempore, tam propinquis iis hostibus qui vel in pace tranquilla bellum excitare possent, nedum in bello respirare vicinos paterentur [17]).

---

[14]) Cic. ad fam. I, 9, 12. Quamobrem ante legem Corneliam prorogatum esse alicui imperium dicebatur, postea ei non esse successum, plerumque quidem, nam et illud recte dici potuisse apparet. Sic Sextius proquaestor Macedoniae Ciceronem rogavit, ut operam daret ne sibi succederetur (ad fam. V, 6), et Piso proconsul eiusdem provinciae perterritus est, cum audiret sibi successum iri (in Pis. 36), et M. Cicero nuntiat fratri, sua culpa factum esse ut ei non succederetur (ad Qu. fr. I, 1). Quod vero idem ad Atticum V, 21 scripsit, non repugnat, quod Ciceroni extra ordinem annua provincia diserte decreta erat.

[15]) Similiter iis, quibus extra ordinem plebiscitis provinciae in complures annos demandatae sunt, in totidem annos etiam sumptus attributi sunt. Cf. de lege Trebonia Plut. Pomp. c. 55 et de lege Vatinia Cic. in Vat. c. 15.

[16]) Sallust. frg. p. 230 ed. Gerlach; Cic. ad fam. XII, 28 et 30; pro Balbo 27, de prov. cons. 11, ad fam. I, 7, 10.

[17]) Noli opponere saepius in angustiis aerarii necessarios sumptus imperatoribus non esse suppeditatos. Iis enim, cum iussi essent ipsi exercitibus consulere (Liv. 23, 21, Cic. ad fam. XII, 28), decretus erat sumptus undecunque sumerent; Ciceronis autem successori sumptu non decreto ne id quidem permissum fuit, ut pecuniam in provincia cogeret aut mutuam sumeret.

Deinde Cicero, si successor vicem aerarii praestare et exercitum suo sumptu alere debuisset, sine dubio multo gravius questus esset. Denique, id quod maximum est, ipse Cicero cum decederet successori sumptum annuum reliquit [18]), relinquere autem non potuit, nisi antea decretum, decretus autem non erat, quia hoc anno de provinciis nihil omnino statutum est. Omissa igitur illa interpretatione, Ciceronem illis verbis hoc fere significare existimo: Quoniam senatus novi quidquam de provinciis non statuit, successori idem sumptus, qui mihi annuus decretus est, in alterum annum erogandus est; ille autem multo minor est quam qui sufficiat ad repellendum hostem validissimum. Quae si vere a nobis disputata sunt, exemplo satis apto sententia nostra videtur confirmata esse. Praeterea autem, cum alii plus, alii minus quam annum, pauci legitimum tempus provinciam obtinerent, neque aequum esset ut alii suis opibus rempublicam adiuvarent, alii quod superaret pecuniae sibi retinerent, persuasum mihi habeo certam quandam diem, fortasse aliam alia in provincia, praestitutam fuisse, ex qua sumptus singulis praetoribus decretos in usum publicum impendi oporteret, veluti Ciceroni, quamquam pridie Kal. Sext. in provinciam advenerat, usque ab Idibus Quint. stipendium militibus persolvendum fuit [19]). Sed hanc quaestionem pono tantum hoc loco, non pertracto; est enim late patens et magna cum cura et diligentia consideranda, quod rei non solum magna utilitas est sed explicandi quoque summa difficultas.

Ac de tempore quidem, quo et in quod magistratibus sumptus decretus sit, satis dictum videtur. Sequitur deinceps ut perscrutemur, quomodo et unde attributa et erogata sit illa pecunia. Qua de re hoc quidem dubitari nequit, quin de publico fere sumptus attributus sit; nam raro dumtaxat nec nisi in summis aerarii angustiis proconsules iussi sunt ipsi suis exercitibus consulere, ita ut pecuniam aut mutuam sumerent a quibus videretur aut provincialibus imperarent [20]). Attribuendi vero ex publico ratio varia fuit et multiplex. Publica pecunia fere semper aliqua ex parte Romae in aerario coacervata erat, maiore ex parte dissipata erat per provincias, deposita in arcis aut publicanorum qui vectigalia aut quaestorum qui stipendia a sociis exigebant [21]). Quamobrem cum pecuniam ex provinciis Romam portare et Roma in

---

[18]) Cic. ad Att. VII, 1: *Cum hoc rectum et gloriosum putarem, ex annuo sumptu qui mihi decretus esset me Coelio quaestori relinquere annuum, referre in aerarium ad HS X, ingemuit nostra cohors omne illud putans distribui sibi oportere, ut ego amicior invenirer Phrygum et Cilicum aerariis quam nostro.* Quem locum in hunc modum explico: „ex annuo sumptu, quem in alterum annum ex SCto iam exegi, reliqui successori annuum, deducta pecunia quae in usum praetoris decreta erat, ad HS X, vel quicunque numerus hoc loco ponendus est. Quam cum neque ut solet cohorti distribuere, neque ut licet mihi retinere vellem, in aerarium referre constitui.“ Ii enim, qui sumptum annuum eum intelligunt, quem Cicero in provinciam adveniens accepit, perperam iudicare mihi videntur, propterea quod parum pecuniae sibi decretum esse saepius Cicero questus est, annuus autem sumptus vel largissime decretus alteri anno sufficere nullo modo potuit.

[19]) Cic. ad Att. V, 14 et 15.

[20]) Liv. XXIII, 21. Cic. ad fam. XII, 28; Philipp. X, 11, XI, 12.

[21]) Cic. ad fam. XII, 14 et 15.

provincias reportare vix esset Romanorum prudentiae et parsimoniae, institutum videtur esse, ut sumptus quos Romae et in itinere proconsules facerent ex aerario praesenti pecunia suppeditarentur [22]), quos vero in provinciis facerent, si sufficeret illi oneri provincia, ex eius vectigalibus, sin minus, ex vectigalibus finitimarum provinciarum [23]) aut ex ipso aerario attribuerentur. Quam rem explicandam et expediendam senatus, penes quem summa potestas erat non solum decernendae sed etiam attribuendae pecuniae publicae [24]), plerumque curae et providentiae quaestorum urbanorum videtur demandasse. Neque enim, si omnis cura quaestorum in hoc versabatur ut pecuniam a senatu decretam dissolverent, excogitare possumus quid beneficii T. Ligarius quaest. urb. in Caesarem proc. conferre potuerit [25]), neque satis intelligere hos duos Ciceronis locos: ad Att. II, 6 *Scripsi ad quaestores urbanos de Quinti fratris negotio. Vide quid narrent, ecquae spes sit denarii an cistophoro Pompeiano iaceamus*, et ib. 16: *Quaestores quaeso num etiam de cistophoro dubitant? Nam si nihil aliud erit, cum erimus omnia experti, ego ne illud quidem contemnam quod extremum est.* Si vero quaestorum erat statuere, a quo, quo loco, quibus nummis debitum solveretur, de Ligario quidem liquet nec Ciceronis verba difficilia sunt ad explicandum. Q. enim Cicero sumptum annuum propter prorogatam provinciam sibi debitum Romae maluit accipere quam in Asia, ideoque mandavit fratri ut hac de re cum quaestoribus ageret. Quaestores autem, cum ex more statuissent ut publicani Asiani quod ipsi aerario deberent Quinto solverent, iure suo postularunt, non ut Cicero cistophoros ipsos acciperet, sed ut quanto minoris essent cistophori Romae quam in Asia tantum Ciceroni ex summa deduceretur. Triplex igitur videtur fuisse munus quaestorum. Primum quidem inquirebant num iure pecunia postularetur, neque enim quidquam ex aerario erogari licuit nisi ex SCto; deinde statuebant ubi et a quo solveretur; denique si Romae pecuniam solvi placuerat, numerabant aut ipsi aut per ministros, sin minus, mandabant proconsuli ut ipse aliunde pecuniam exigeret [26]). Id quod factum esse permutatione pecuniae publicae, probabiliter potest confici ex Cic. ad fam. III, 5: *Laodiceae perpaucos dies, dum pecunia accipitur quae mihi ex publica permutatione debetur, commorabor.* Permutare autem pecuniam proprie is dicitur, qui aut ut rem accipiat non pecuniam sed rem dat, aut, quod idem est, nummos dat ut alius generis nummos accipiat [27]). Deinde is quoque permutat cum altero pecuniam, qui illi aut dat nummos aut se daturum

---

22) Veluti vasarium Pisonis (Cic. in Pis. 35) et viaticum legatorum (ad fam. 12, 3). Deinde etiam tabernaculum, supellex, muli cet. Romae praebita sunt.

23) Plut. Pomp. 25. Lucull. 37. Cic. ad fam. XII, 14, V, 20.

24) Commemorantur SCta, quibus senatus ipse decrevit unde pecunia erogaretur. Veluti pecunia a Ciceronis quaestore in fano deposita ex SCto P. Sestio tradita est (ad fam. V, 20) et M. Bruto SCto permissum est, ut pecuniam quae in Macedonia publica esset exigeret et ea uteretur (X Phil. 11).

25) cf. de hac re Cic. pro Lig. 12.

26) Hoc nisi fallor significatur formula in hac re sollemni: ***quaestores dent, attribuant, solvant.***

27) l. 5 D. de praescr. verb.

promittit aut suum debitorem delegat, ut ipse aut alter eodem aliove loco et tempore nummos accipiat. Veluti Cicero, qui filio Athenis commoranti sumptum annuum dari vult nec pecuniam quam mittat habet, rogat Atticum ut permutet Athenas quod illi sit in annuum sumptum, se pecuniam hoc modo sibi mutuam datam soluturum esse, simulatque Eros quidam debitum numeraverit. Permutat igitur Cicero pecuniam quam Eros debet pecunia quae ab Attico Athenis praestari debet, et Atticus cum altero permutat pecuniam quam praesentem dat pecunia quae illi debetur Athenis. Eodem modo Cicero cum Attico permutationem fecit, cum in Ciliciam profecturus ab illo pecuniam mutuam sumeret, quae non Romae statim sed in Cilicia post adventum sibi repraesentaretur [28]). Quae cum ita essent, si quaestores proconsulem iussissent in provincia a publicanis exigere quod illi Romae repraesentandum aerario deberent, permutatio non fuisset, sed delegatio debitoris. Neque tamen hac ratione negotium explicari potuit. Nam cum nummi fere semper aut pluris aut minoris Romae quam in provinciis venirent, pecunia Romae solvenda in provincia repraesentari non potuit, quin damnum facerent aut publicani aut aerarium. Quamobrem permutare solebant quaestores cum publicanis pecuniam Romae accipiendam illa quae in provinciis proconsulibus praestaretur; quo factum est ut raro eandem summam, plerumque maiorem minoremve acciperent. Eodem modo proconsules, qui Romam pecuniam mittere volebant, pecuniam publicam permutabant, veluti Cicero ad fam. II, 17 gloriatur, se cum quaestu populi pecuniam permutasse. Plerumque tamen illi, praedibus acceptis ut populo cautum esset sine vecturae periculo, ipsi per mancipes pecuniam Romam deportandam curabant [29]); neque id mirum, nam cum pecunia multo pluribus mittenda esset ex provinciis Romam quam Roma in provincias, fere semper nisi iniquiore conditione non potuit permutari Romam.

Explicata iam, quantum fieri potuit, decernendi et attribuendi sumptus praetorii ratione, quemadmodum administrata sit illa pecunia deinceps nobis exponendum est. Qua in re cum quaestoris cura potissimum versaretur, eius nimirum qui comes et adiutor negotiorum publicorum proconsuli adiunctus erat, ante omnia nobis definiendum est, quae ratio illi cum proconsule intercesserit et quibus finibus eius munus circumscriptum fuerit. Triplex autem videtur fuisse, quod ad hanc rem attinet, munus quaestoris. Et primum quidem accipiebat pecuniam publicam omnem, non solum quae praetori attributa erat, sed etiam quae in provincia publica erat nec per publicanos exigebatur [30]). Deinde quaestoris erat pecuniam publicam alicunde acceptam diligenter asservare et in usum publicum erogandam cum fide dissolvere. Quam rem tamen tantum abfuit ut suo arbitratu tractaret, ut totus penderet ex auctoritate et nutu proconsulis. Neque enim solum ab ipso quaestore, si quid iniussu praetoris egerat, pecunia vel negligentia eius amissa vel contra leges dissoluta repetebatur [31]);

[28]) De his exemplis cf. Cic. ad Att. XV, 15, V, 13 et 15.

[29]) Cic. ad fam. II, 17.

[30]) Vide Cic. in Verr. I, 13, ad fam. XII, 14, X, 23 et permultos locos, quibus praeda dicitur tradita esse quaestori, ut is venderet et in publicum redigeret.

[31]) Cic. ad fam. V, 20, §. 5 et 6.

sed institutum etiam erat, ut praetor missum faceret quaestorem qui noluisset imperata impigre facere, quaestor vero pecuniae contra leges sed iussu praetoris expensae culpam non praestaret, nisi cum illo coniunctus fuisset sceleris praemiique societate[32]). Cuius instituti hanc causam fuisse puto, quod Romani noluerunt nimiam fidem aut pertinaciam quaestoris impedimento esse praetori in bonis rebus peragendis. Nam adiungendis quaestoribus eos id magis egisse ut adiutores, quam ut custodes praetoribus darentur, facile confici potest ex necessitudine summa quae quaestori cum praetore intercessit, quam quaesturae coniunctionem liberorum necessitudini proximam esse mos maiorum voluit, ita ut praetorem quaestori suo parentis loco esse oporteret neque sine causa gravissima quaestori in praetorem nominis deferendi potestas daretur[33]).

Sed eo iam, unde huc digressi sumus, revertamur. Conficiendae denique diligenter erant in provincia quaestori tabulae accepti et expensi et post decessum rationes omnis pecuniae publicae ad aerarium referendae. Atque ante legem Iuliam de pecuniis repetundis a. 695 latam referebant rationes ad aerarium et quaestor sine praetore et praetor sine quaestore, prout utrique successum erat, simul atque ex provincia reversi in urbem advenerant, nisi a senatu dies iis prorogata erat[34]). Post Iuliam vero legem necesse erat, ut praetor et quaestor, antequam de provincia decessissent, apud duas provinciae civitates rationes confectas collatasque deponerent easdemque totidem verbis referrent ad aerarium[35]); continuo autem post adventum rationes referri tunc nihil attinuit, cum propter rationes in provincia relictas postea nihil mutari posset[36]). Nulla re magis factum videtur esse, ut custodirent inter se praetor et quaestor, et ut quaestor appellari posset custos non solum pecuniae sed etiam praetoris. Permagni igitur praetoris interfuisse, ut haberet quaestorem sibi obnoxium et consulentem suae existimationi, haec una res satis declarat. Accedit autem altera.

Existit nobis hoc loco de finibus quibus praetor suum quaestorem praestare debuerit quaestio gravis et subdifficilis, quam ut planius exponamus, paulo altius repetamus oportet. Etiamsi enim ex instituto nostro ea tantum crimina, quae in re pecuniaria ver-

---

32) Colligitur eorum quae statuimus alterum ex Plut. Cat. mai. 3, alterum ex Liv. 38, 55 et Cic. ad fam. V, 20. Neque, si diligenter examinaverimus, repugnat locus Ciceronis in divin. in Caec. c. 10, §. 32. Etiamsi enim Caecilius quaestor quantum et quibus Verres iusserat prompte dissolvit, tamen ne qua deductio ex pecunia publica fieret magna ex parte impedire potuit, si quibus et quantum cuique dissolvisset accurate in tabulas retulisset. Quod deinde Cicero dicit, Caecilium prohibere potuisse, ne decumarum mancipes a civitatibus pro frumento pecuniam exigerent, ad quaestoris curam pecuniae publicae non pertinet, sed ad iurisdictionem quae ei erat in provincia Lilybaetana, de qua re cf. in Verr. II, 18.

33) Cic. div. in Caecil. 19, ad fam. XIII, 10 et passim.

34) Cic. in Verr. I, 38 et 39.

35) Cic. ad fam. V, 20, II, 17, ad Att. VI, 7.

36) Cic. ad fam. V, 20: *Respondeo me, quamquam iustis de causis rationes deferre properarim, tamen te exspectaturum fuisse, nisi in provincia relictas rationes pro relatis haberem.* Quamobrem quod Cicero in Pis. 25 Pisonem facit loquentem: *Rationem ad aerarium retuli continuo, sicut tua* (Caesaris) *lex iubebat,* ad necessitatem ante decessum referendarum rationum pertinere statuendum est.

santur, id est repetundarum maxime et peculatus, hoc loco spectamus, tamen illam quaestionem recte instituere non possumus, quin quae ceterorum praetoris comitum ratio fuerit simul in disceptationem vocemus. Inter eos autem, qui praetorem in provinciam sequebantur, cum aliae multae tum haec intercessit dissimilitudo, quod alii praetoris iudicio delecti nisi cuius ille dederat nullius rei potestatem habebant, alii sive a populo sive a senatu praetori adiutores dati multa illi quidem quae praetor iis commiserat curabant, habebant tamen et propriam quandam potestatem delatam sibi lege senatusve consulto, non praetoris mandatu. Hi erant quaestor et legati[37]), qui tres fere praetorem comitabantur, illi ceteri comites, tribuni militares, praefecti, scribae, medici, haruspices, praecones, alii, qui omnes quasi ex cohorte praetoria appellabantur. Iam hinc coniecturam satis probabilem de re in controversiam vocata capere licet. Quaecunque enim quaestor et legati pro sua potestate commiserant, ea non videntur praetori praestanda fuisse, nam illos ei comites dederat et propria potestate ornaverat respublica ipsa; si vero ceteri comites quid deliquerant, ratio ab ipso praetore repetebatur, quippe in cuius potestate situm esset, ut eos secum educeret qui suae famae capitique consulerent et ut vindicaret ac missos faceret, si in hominibus eligendis spes amicitiae fefellisset[38]). Sed sunt alia eius rei argumenta atque indicia certissima.

Et primum quidem legibus pecuniarum repetundarum quaestor et legati tenebantur, quippe qui ordinis senatorii essent, soluti vero et liberi erant cum toto ordine equestri ceteri magistratuum comites[39]). Quicquid igitur ab horum quopiam captum erat, id nisi a praetore ipso a nullo socii repetere poterant. Hoc autem iis concedi utique oportuit, nisi forte omnia de pecuniis repetundis iudicia funditus tollere Romani voluerunt. Vix enim unquam reus tam nocens et tam stultus adduci potuit, qui hac defensione uti non posset, non sibi sed alicui comitum pecuniam numeratam esse. Erat hoc quidem illarum legum caput tralaticium, quo ea pecunia pervenerit, ex quo capite, cum iuberet persequi ab iis ad quos pervenisset pecunia a damnato capta, etiam minores illi praetoris comites in ius vocari poterant. Verum quoniam ex eo capite, quamvis magna pecunia ad comites pervenisset, ab iis non redigebatur, si praedes dederat praetor aut tantum ex eius bonis redactum erat quanta summa litium fuerat[40]), facile est ad intelligendum, ne hoc quidem caput obstare nostrae sententiae.

Alterum deinde argumentum ex hoc ducimus, quod institutum erat ut querimoniae, quae ad legatum populi Romani aut, id quod dubitari nequit, ad quaestorem pertinerent, non ad praetorem sed Romam a sociis deferrentur[41]). Rationem enim repetere ab aliquo de factis eorum, in quos animadvertendi ius ei non est, nullam habet aequitatem.

[37]) De quaestoribus certum est, nec de legatis admodum dubitari potest. Quamobrem argumenta afferre propter exiguum ad scribendum concessum spatium supersedeo, alio loco totam rem accuratius tractaturus

[38]) Cic. in Verr. II, 11.

[39]) Colligi potest de lege Cornelia ex Cic. l. l. et ex eo quod Verris asseclae proprio terrore a Cicerone non terrentur; de lege vero Julia ex Cic. pro Rabir. Post. 5 et 6.

[40]) Cic. pro Rabir. Post. c. 4 et 13.

[41]) Cf. Cic. in Verr. I, 19 et quod adnotat Pseudo-Asconius.

At opponi possit ex Pseudo-Asconii levi illa quidem, non tamen prorsus negligenda auctoritate, primum depositas esse et de quaestore et de legatis sociorum querelas apud praetorem, deinde Verris legati nomen non receptum esse a Nerone praetore, quod Verres legatus fuerit non Neronis sed Dolabellae. Sed quod priore loco ille admonet, nulla causa est cur reiiciamus. Cuiuscunque enim fidei potestatique senatus provinciam commisit et credidit, eum voluit sociorum saluti commodisque consulere et eos omni ratione tueri. Parvi autem cum referret ut praetor ipse pecuniae, voluptati, omnium rerum cupiditati resisteret, nisi idem fieret a comitibus, ius et potestatem praetori esse oportuit prohibendi ne ii comites quos coercere non posset in vexandis sociis perseverarent. Quae cum ita essent, non solum Cicero Verri quae Caecilius quaestor sine eo commiserat crimini dedit, quod non prohibuisset cum summam ipse habuisset potestatem, sed multi etiam praetores cum praefectos et tribunos, tum quaestores et legatos suos missos fecerunt et de provincia decedere iusserunt, quod illorum culpa se minus commode audire arbitrarentur aut quod peccare ipsos aliqua in re iudicarent [42]). Ad praetorem igitur etiam de quaestore legatisque querimoniae sociis deferendae erant, quoties propulsare potius quam ulcisci malebant iniurias. Neque aliud quicquam egerunt cogitaruntve Bithyni apud proconsulem querentes de iniuriis Oppii quaestoris; Oppius enim a proconsule dimissus et deinceps ex eiusdem literis Romae repetundarum accusatus est [43]). Iam illa non longam orationem desiderant, quamobrem alteram illius Asconii sententiam reiiciendam esse existimemus. Verres in itinere, quod habuit in Ciliciam ad Dolabellam suum praetorem, fanum Iunonis Samiae expugnavit et spoliavit. De qua re qui questum venerunt ad Neronem Asiae praetorem legati, si id egissent ut Verres ex provincia dimitteretur, ne postea sibi damnum inferre posset, reiiciendi fuerunt ad Dolabellam, nam eius, non Neronis legatus fuit Verres; si vero damnum sibi restitui voluerunt, neque aliud, cum Verres Ciliciae legatus esset, in eo accusando spectare potuerunt, Romam iis querelae deferendae fuerunt, cognoscendi enim de legato populi Romani ius neque Neronis erat neque Dolabellae.

Denique ex re videtur haec, quae ad fratrem Asiae praetorem scripsit (II, 1) Cicero, afferre: *Si quis* (legatos dicit aut quaestorem) *forte esset sordidior, ferres eatenus, quoad per se negligeret eas leges quibus esset adstrictus, non ut ea potestate, quam tu ad dignitatem permisisses, ad quaestum uteretur....... Quos vero aut ex domesticis convictionibus aut ex necessariis apparitionibus tecum esse voluisti, qui quasi ex cohorte praetoria appellari solent, horum non modo facta sed etiam dicta omnia praestanda nobis sunt.* Qui locus insignis non solum firmo argumento est nostrae sententiae, sed etiam novi aliquid affert, quod multum faciat ad rem melius cognoscendam. Nam ex eo probabiliter potest effici, etiam legatos et quaestorem praetori praestandos fuisse, si quid in iis deliquissent quae praetor ipse iis commisisset. Cui sententiae magno argumento est, quod Dola-

---

42) Cic. div. in Caecil. 11 et in Verr. III, 58.
43) Dio Cassius XXXVI, 23, Quinctil. V, 13.

bellae, praetori repetundarum damnato, quaestoris quoque furta aestimata esse Cicero in Verr. I, 39 tradit, neque magnopere obstat, quod idem Cicero in oratione pro Fonteio habita (c. 4) multum in eo laborat, ut persuadeat ad legatos quibus praetor rem commiserit crimen pertinere, neque enim culpam in alios transferre sed crimen diluere vult, demonstrans totam rem tractatam esse a viris honestissimis et integerrimis. Sed de his hactenus. Nunc ut instituimus proficisci ordine ad reliqua pergemus.

Sequitur iam, quo altius ratio administrandae pecuniae publicae perspiciatur, ut eas res in quas pecunia publice erogata sit investigemus et perscrutemur. Quae cum tres fere sint, stipendium, frumentum, cibaria praetoris comitumque [44]), de stipendio hoc quidem loco disputare in animo non est. Magis enim placet desertarum relictarumque rerum patrocinium suscipere, quam argumentum amplecti a multis et doctissimis viris tractatum, ex quo pauca tantum exprimi possint quae non iam trita sint et decantata. Satis igitur habeo ea brevi explicare, quae de frumento et de cibariis reperisse mihi videor.

Et primum quidem frumentum in cellam [45]) ut sumerent omnibus, quicunque sive pro consulibus sive pro praetoribus provinciis praeerant, permissum erat legibus [46]). Numerus autem frumenti quem singuli praetores hoc nomine exigerent, cum idem esse non posset neque in omnibus provinciis eodem tempore neque diversis temporibus in eadem provincia, nominatim decernebatur a senatu, quotiens singulas provincias ornabat. Unde intelligitur quid sit quod ex SCto et ex legibus Verres dicatur frumentum in cellam sumpsisse [47]). Deinde cum non placuisset socios illud frumentum gratis dare, hoc quoque senatus erat, statuere pretia quae praetores pro frumento collato sociis solverent. Etenim si lege ipsa illa semel constituta fuissent, propter magnam annonae varietatem fieri non potuit, quin eadem aestimatione aratores modo locupletarentur modo prorsus everterentur [48]). Senatus igitur omnem

---

[44]) Apparet ex rationibus a Verre quaestore relatis (in Verr. I, 14), in quibus praetoris cibariorum mentionem non fieri noli mirari, nam illam pecuniam a quaestore tractatam non esse paulo infra demonstrabimus.

[45]) Tota de hac re disputatio nostra nititur in iis, quae Cicero in tertio libro Verrinarum a capite 81 inde ad caput 96 queritur de iniuriis hoc nomine Siculis a Verre illatis. Illinc igitur argumenta sumi volumus, quae nominatim afferre brevitatis causa saepius supersedimus.

[46]) Hoc imprimis interesse videtur inter frumentum in cellam et honorarium, quae duo genera Ernestius et Garatonius confundunt. Honorarium enim non modo frumentum sed etiam vinum muneri dabant socii, neque solum praetori sed etiam aliis viris nobilibus; id quod facile colligitur ex duobus locis, altero Ciceronis in Pis. 35 quo vi aut metu extortum honorarium nominari posse negatur, altero Catonis apud Isid. Orig. 20, 3, quo Cato gloriatur se nunquam, ne privatum quidem, vinum honorarium accepisse.

[47]) Ignoro equidem minime, Verrem c. 97 dici plus imperavisse quam ei legibus esset concessum; sed legibus cautum fuisse censeo, ne praetor plus sumeret quam quantum senatus decrevisset.

[48]) A senatu, non lege aestimatum esse frumentum in cellam, Cicero ipse tradit c. 85. Neque repugnat quod frumentum ex lege Terentia et Cassia Verri in Sicilia emendum ipsa lege aestimatum est, v. c. 75; multo enim facilius erat tolerabile pretium constituere ei frumento, quod in una provincia certo tempore et loco emendum erat, quam quod in omnibus provinciis quocunque tempore et quemcunque in locum libuit imperari poterat.

frumenti rationem ex temporibus et annona considerans plerumque larga liberalique aestimatione utebatur [49]). Veluti Verre praetore cum in Sicilia HS binis, summum HS ternis tritici modius esset, aestimavit senatus HS quaternis tritici modium, binis hordei. Quo pacto munus frumenti in cellam praebendi aratoribus in annonae caritate non admodum grave, in vilitate etiam gratum esse debuit, nisi avaritia et pravae libidines magistratuum effecissent, ut, qua in re optime et benignissime cum aratoribus egerat senatus, in eadem improbe et aperte praedarentur praetores. Nulla autem re magis vexati sunt miseri aratores quam praetorum consuetudine aestimandi frumenti et auferendae pecuniae pro frumento.

Haec aestimatio, inquit Cicero, nata est initio non ex praetorum aut consulum sed ex aratorum et civitatum commodo. Nemo enim fuit initio tam impudens, qui cum frumentum deberetur pecuniam posceret. Certe hoc ab aratore primum est profectum aut ab ea civitate cui imperabatur: cum aut frumentum vendidisset aut servare vellet aut in eum locum quo imperabatur portare nollet, petivit in beneficii loco et gratiae, ut sibi pro frumento quanti frumentum esset dare liceret. Inerat autem in illa aestimandi consuetudine etiam praetoribus aliqui quaestus honestus atque concessus. In vilitate enim annonae plerique frumentum, quoniam vilius erat, statuto pretio non emebant, sed frumento aliunde minore pretio comparato retinebant quod superabat pecuniae cellae nomine iis decretae; qua in re lucrum interdum pergrande fuisse nemo est quin intelligat. In caritate vero, qua ex Ciceronis quidem sententia cibaria etiam uberiora facta sunt, sive praetor ab aratoribus frumentum ipsum sumpserat sive aestimatione facta quod interfuerat inter senatus aestimationem et rationem annonae in nummis acceperat, quid lucri ei accesserit excogitari nullo modo potest, nisi aut senatus maiorem frumenti numerum quam quo magistratibus usus esset decernebat, aut praetores ex aliis provinciis, ubi annona minus compressa esset, frumentum sibi subvehendum curabant. Magno autem cumulo praetorius quaestus auctus est, quotiens accidit ut annona pretium haberet aut per breve tempus aut in nonnullis tantum provinciae locis. Quoniam enim non potuit non concedi magistratibus, ut iis quo tempore aut quo loco vellent frumentum accipere liceret, instituerunt semper aut in ultima ac difficillima ad portandum loca aut quo anni tempore summa esset rei frumentariae inopia frumentum imperare, ut aut annonae aut vecturae difficultate ad quam vellent aestimationem pervenirent. Quae cum ita essent, miranda haec quidem non sunt, neque quod Sacerdos praetor Siciliae, qui cum ante novum tritici modius denariis quinis esset frumentum in cellam imperatum denariis ternis aestimaverat, sublevasse aestimatione sua aratores dicitur, neque quod Philomelenses, quibus Ephesum frumentum imperatum erat, quanti Ephesi erat tantum dare maluerunt in Phrygia, quam Ephesum portare frumentum aut ad emendum pecuniam et

[49]) Quam benigne senatus cum aratoribus egerit, intelligitur non tam inde quod HS IV tritici modium aestimaverat cum HS II esset, id quod casu quodam evenisse potest, quam ex hoc, quod eodem tempore lege Terentia et Cassia frumento empto pretium constitutum erat in modios singulos HS III, quae aestimatio, si Ciceroni fides habenda est, Siculis grata esse debuit.

legatos illuc mittere. Verum si in eo qui talia fecit ex Ciceronis quidem sententia crimen constitui non poterat, si multi similia fecerunt et ita multi ut innocentissimus quisque non fecerit, si ita agere hominis innocentis erat et summa prudentia praediti; in quas miserias atque aerumnas censemus incidisse eas provincias, quarum praetores quidquid expediret id licere putarent neque quaestus via inventa curarent exitum rationemve defensionis? Verres certe eo impudentiae progressus est, ut non solum quinquiens tanto amplius quam quantum in cellam ei sumere licuit civitatibus imperaret, sed etiam, cum neque ullo in loco Siciliae neque ullo tempore eius praeturae tritici modius pluris esset quam HS II aut etiam HS III, ternis denariis i. e. HS XII frumentum aestimaret et pro singulis modiis, deducto pretio quod senatus constituerat, HS VIII ab aratoribus exigeret. Ex quo intelligi licet, quid sit quod Siculi gratis dare quam hac ratione vendere maluerint frumentum in cellam; nam qui mille modios Verri suae partis in cellam gratis dedisset, duo milia nummum aut summum tria dedisset, idem hac aestimatione concessa pro eodem numero frumenti HS VIII milia dare coactus est.

Alterum eius rei non minus insigne exemplum affertur a Tacito in vita Agricolae c. 19. *Frumenti*, inquit, *et tributorum exactionem aequalitate munerum mollire, circumcisis quae in quaestum reperta ipso tributo gravius tolerabantur. Namque per ludibrium assidere clausis horreis et emere ultro frumenta ac vendere pretio cogebantur. Devortia itinerum et longinquitas regionum indicebatur, ut civitates a proximis hibernis in remota et avia deferrent, donec quod omnibus in promptu erat paucis lucrosum fieret.* Qui locus mirum in modum ingenia interpretum exercuit, neque tamen difficilis est ad explicandum, dummodo ne ad decumanum aut ad emptum frumentum referatur[50]). Quid enim? Nonne in Britannia continuis bellis deserta et inculta, cum eadem ratio valeret in provinciis pacatis ac locupletissimis, perquam facile inveniri potuit angulus, aut tam derelictus ut frumenti emendi copia nulla esset, aut tam reconditus ut certo anni tempore vix aut omnino non posset frumentum eo deportari? Quo pacto quamlibet pecuniae summam Britannis extorqueri potuisse, quis est quin cernat? Atqui cum imperatorum plerique omnes coercendis provinciarum praesidibus tantam curam adhiberent, ut eorum aetate longe tutiores quam antea essent provinciales a magistratuum iniuriis, aperte pecuniam pro frumento aestimatione facta sumere, si aequam fecerant aestimationem, minus lucrosum, si iniquam, nimis periculosum erat proconsulibus. Alia igitur quaestus via inibatur. Quo imperabant frumentum, iis locis aut antea imperatum necdum consumptum aut parvo pretio coemptum frumentum suo aliorumve, id quod tutius erat, nomine horreis clausum et compressum tenebant. Quo facto miseri Britanni, qui frumentum neque eo portare neque ibi emere poterant, cogebantur adire illa horrea et, cum Romani, mercatores quibuscum praeses quaestum partiebatur, verbo

[50]) Cum sub imperatoribus, decumis paulatim abolitis, in omnibus fere provinciis tributa soli exigerentur neque in Britannia tunc tanta copia frumenti esset ut inde emptum Romam mitti posset, quod frumenti Britanni praeter tributum dedisse traduntur, id neque decumanum neque emptum fuisse sed ad alendum exercitum imperatum esse existimo.

quod vendere nollent, revera ut amplificarent pretium, eos aliquamdiu morati essent, emere tandem pretio impenso quod deinceps statuto et sine dubio modico venderent. Qua ratione a praeside magnam pecuniam capi neque tamen in eo crimen constitui potuisse, quis non videt, qui modo unquam mediocriter illas res scire curavit?

Reliquum est iam ut quaeramus, primum quorum in usum illud frumentum collatum, deinde qua ratione pecunia eius nomine decreta administrata sit. Et primum quidem frumentum in cellam ad praetorem eiusque comites alendos imperatum esse, id quod vulgo creditur, parum mihi probatur. Etiamsi enim illud frumentum ad praetorem, decumanum vero et emptum ad populum pertinuisse dicitur a Cicerone c. 87, multo tamen maior eius copia fuisse videtur, quam quae daretur tam exiguo hominum numero ad vitam sustentandam. Neque enim solum permagna cellae nomine pecunia Verri decreta esse traditur, sed C. Sentius quoque pergrandem ex cibariis pecuniam ex Macedonia salvis legibus deportavit. Ad hoc M. Cato, cum in Sardinia praetor esset, in suum comitumque usum tritici modios CCXVI et hordei MMCLX in annum non plus a civitatibus teste Plutarcho c. 6 exegit. Cuius frugalitatem et innocentiam quamvis licet laudibus extollas, tamen vix cuiquam persuadeas, Verrem eodem nomine ab uno aratore, cum ex tanto aratorum numero nemo immunis esset (c. 97), mille modios exigere potuisse. Ad maiorem igitur hominum numerum illud frumentum pertinuisse utique statuendum est. Ille autem qui esse possit, nisi militum qui praesidio erant pacatis provinciis [51])? Iis enim, quibus Roma commeatus submitti sine detrimento non poterat, quibus ne decumae quidem attribuebantur [52]), qua ratione censemus rem frumentariam provisam esse? Imperatumne esse sociis frumentum, pro quo pretium non solveretur? Non videtur. Pretia enim soluta esse interdum traduntur, veluti a Livio XLIV, 16 et Cicerone in Verr. II, 2; neque querimoniae civitatum audiendae sunt, nam propter vexationes magistratuum et frumentum in cellam Siculi gratis dare voluerunt et ne milites in hiberna reciperent, quamquam ne hoc quidem munus gratuitum erat [53]), Cyprii talenta Attica CC proconsuli dederunt. Sed sunt alia eius rei indicia, quae etsi non sunt certiora illis, minus tamen habent vel obscuritatis vel erroris. An satis credibile videtur esse, et M. Antonium menstruis cibariis exigendis et aestimandis aratores Siculos bonis evertisse, si illa cibaria eius tantum comitumque fuissent, et P. Servilium, cum quinquennium exercitui praeesset, aestimando frumento solito maiorem et paene innumerabilem pecuniam

---

[51]) Plurimum intererat hac de re inter exercitus qui in terra hostili bellum gerebant contra hostes, et inter eos qui in provinciis versabantur ut tuerentur socios. Illis commeatum comparatum esse aut per redemptores aut frumentando aut imperando aut subvehendo vectigalia frumentumve aliunde coemptum, non est quod negemus; silent nimirum inter arma leges atque utilitati ante omnia parendum est. Vide Liv. XXXIV, 9, XXIII, 48, 49, XXXVII, 50, XXXVI, 3, XLII, 27.

[52]) Annis 563, 564, 565, 584 Siculum frumentum decumanum omne in Graeciam missum est, quamquam in Sicilia legio una et classis fuit; cf. Liv. XXXVI, 2, XXXVII, 2, 50, XLII, 31. Postea quotannis Romam advectum est: cf. Cic. in Verr. III, 74. Omnino publicanis Romae mercedem locationis persolvendam fuisse, mea est sententia, quam tamen argumentis confirmare hoc loco non possum.

[53]) Cic. pro lege Manil. 13 et Dio Cassius XL, 14. De Cypriis cf. ad Att. V, 21.

facere potuisse, si frumentum aestimatum ad exercitum non pertinuisset[54])? Merito igitur contendere nobis videmur, frumentum in cellam ex maxima parte imperatum et insumptum esse in usum exercitus.

Quaerentibus nobis deinceps, quomodo pecunia quae cellae nomine decreta erat administrata eiusque ratio ad aerarium relata sit, omnia in eo vertuntur, quod praetoris arbitrio permissum erat, utrum ipse vellet frumentum comparare an quaestori rem frumentariam committere. Qui ipse illud munus susceperat, accepta pecunia aut per legatum aut per ipsum quaestorem[55]) suo nomine coemendum frumentum curabat, ea lege ut, modo ne socios diriperet aut pretium a senatu statutum egrederetur, unde et quanti vellet frumentum emere et legitimo numero parato quod superaret pecuniae in suam rem convertere liceret. Neque tamen plane desiderabatur cura et custodia quaestoris; eius enim cum esset militibus frumentum distribuere[56]) et quantum accepisset et distribuisset in tabulas publicas inferre, praetori necessitas iniuncta erat si non omnem quae debebatur pecuniam civitatibus dissolvendi, at certe eum quem senatus iusserat frumenti numerum militibus praestandi. Qui vero praetor quaestori, non sicut adiutori suo sed sicut magistratui populi Romani, cum publica pecunia rem frumentariam commiserat, percipiebat ille quidem utilitatem haud contemnendam per alios tractandae pecuniae, nam tum in omni illo negotio non modo labore sed etiam periculo suo versabatur quaestor, carebat vero propter rationes, quae quaestoribus expensae in eam rem pecuniae referendae erant[57]), quaestu omni qui inde praetoribus solebat enasci[58]).

Confecta iam videtur res esse. Sed ne statim alium disputationis campum ingrediamur, in mora est locus quidam Ciceronis, qui ipse quidem subobscurus necdum quod sciam accurate explicatus est, bene autem intellectus multum facit ad totam rationem frumentariam penitus perspiciendam. Verba Ciceronis in Verr. I, 39 haec sunt: *Illarum rationum ex ea faece legationis quaestoriaeque tuae procurationis illa sunt nomina, quae Dolabellae necessario sunt aestimata.* Ex litibus aestimatis Dolabellae pr. et pro pr. *Quod minus Dolabella Verri acceptum retulit, quam Verres illi expensum tulerit, HS quingenta triginta quinque milia;*

---

[54]) Cic. in Verr. III, 92 et 90.

[55]) Hoc modo rem frumentariam tractavit et Sylla, Catuli legatus bello Cimbrico, Plut. c. 4, et Verres, Dolabellae legatus in Cilicia, in Verr. I, 38.

[56]) M. Cotta, procons. Bithyniae, dimisit P. Oppium quaestorem *ἐπί τε δώροις καὶ ἐπὶ ὑποψίᾳ ἐπιβουλῆς*, ut Dio XXXVI, 23 tradit, et quia de militum cibariis detraxerat, id quod Quintil. V, 13 narrat. Detrahere autem non potuit quaestor, nisi eius erat cibaria distribuere.

[57]) Verres, quaestor Cn. Carbonis consulis, cui consul pecuniam, rem frumentariam, rationes omnes suas exercitumque commiserat, cum in alias res tum in frumentum expensae pecuniae rationes retulit (cf. in Verr. I, 14), id quod eum facere non potuisse, si consul ipse frumentum coemendum suscepisset, res ipsa docet, neque refutatur eo quod de eiusdem Verris quaestura Ciliciensi c. 39 narratur. Tabulae enim Verris, quae ibi commemorantur, non sunt rationes publice relatae, quas nondum retulerat, sed tabulae accepti et expensi quas in suum usum confecerat.

[58]) Cic. in Verr. III, 97: *Nullo modo negare potest* (sc. Verres de aestimatione sua Siciliensi). *Vellem etiam hoc posset dicere, nihil ad se istam rationem pertinere, per quaestores rem frumentariam esse administratam.* Cf. praeterea quae p. 12 a nobis disputata sunt.

et quod plus fecit Dolabella Verrem accepisse, quam iste in suis tabulis habuit, HS ducenta triginta duo milia; et quod plus frumenti fecit accepisse istum, HS decies et octingenta milia, quod tu, homo callidissimus, aliud in tabulis habebas. Agitur hoc loco non de omnibus furtis quae Verres in legatione et quaestura fecit, ne de iis quidem omnibus quae Dolabellae necessario aestimata sunt, sed de iis solis quae ad Verris frumentariam procurationem pertinuerunt; nam in capite superiore Cicero tradidit hoc nomine solo Dolabellae HS ad tricies litem esse aestimatam, quae autem hoc loco afferuntur nomina consummata faciunt HS vicies et quingenta sexaginta duo milia. Comparandi deinde frumenti munus ipsum Dolabellam suscepisse utique statuendum est, primum quod hominem intemperantem sordidum audacem tanti lucri occasionem sua sponte de manibus emisisse parum probabile est, deinde quod alio modo non intelligitur, quid sit quod Verres a Dolabella frumentum acceperit et Dolabella Verri pecuniam simul expensam et acceptam tulerit. Dolabella igitur accepta pecunia mandavit Verri ut suo nomine ac periculo frumentum civitatibus imperaret et aestimatione facta pecuniam quam maximam exigeret. Quo mandato quaestuoso libenter recepto, Verres tamquam aliqua calamitosa tempestas peragravit omnes partes provinciae et frumento aestimando, illa sua quam tum primum excogitavit Siciliensi aestimatione, tantas pecunias exegit et Dolabellae tradidit, ut ille, frumento aliunde minore pretio coempto et lucri parte Verri concessa, magnam pecuniam domum suam converteret. Tanta autem et tam aperta fuerunt furta et latrocinia, quae cum aliis nominibus tum in frumento imperando Dolabella fecit, ut postquam de provincia decessit a M. Scauro repetundarum accusaretur. Quo in iudicio quae praeter frumentaria furta a Dolabella repetita sint, et ignoramus et omittimus ut a nostro instituto aliena. Frumentarius autem quaestus duplex videtur fuisse: primum Dolabella plus quam quantum in cellam ei sumere licebat civitatibus imperavit, deinde deductionem fecit de pretio a senatu constituto et aestimatione iniquiore usus est quam quae defendi posset aut annonae varietate aut situ singulorum locorum. Quae cum ita essent, Dolabellae periculi rationes ita tulerunt et postularunt, ut et frumenti numerum quem militibus distribuendum et pecuniae summam quam civitatibus persolvendam Verri tradidisset in rationibus referendis quam maxime augeret. Primum enim si quantum civitatibus imperasset tantum militibus datum esse persuasisset, ille quidem cur senatus consultum neglexisset si non bonam at aliquam rationem excogitare facile potuit, sociis vero quod ultra legitimum numerum frumenti dederant ab aerario, non a Dolabella fuit repetendum. Deinde si omnem pecuniam Verri traditam esse ostendisset, deductiones factas esse defendi potuit necessitate comparandi eadem pecunia multo maiorem numerum frumenti. Reliqua igitur fuit sola aestimatio quae reprehendi posset; illam autem sociis iniquam et remotam a voluntate et sententia legis fuisse, difficillimum erat certis argumentis et indiciis convincere.

At Dolabella nihil potuit, nisi adiutus Verris voluntate ac testimonio. Quamobrem petiit et impetravit a senatu, ut dies rationum referendarum sibi prorogaretur donec quaestor advenisset. Verres autem tantum abfuit ut praetorem in iudicio adiuvaret, ut se ad accusatores conferret et in Dolabellam accerrimum testimonium diceret. Quo

cognito de sua salute desperans Dolabella, si Ciceroni credere licet, illa nomina recte in tabulas suas videtur induxisse. Verres autem, ut etiam ea quae ipse furatus esset a Dolabella Cilicienses acciperent, in tabulis suis non solum illi tulit minus acceptum HS ducenta triginta duo milia, plus expensum HS quingenta triginta quinque milia, sed fecit etiam eum minus frumenti sibi tradidisse HS decies et octingenta milia. Quae omnia damnato Dolabellae necessario aestimata sunt. Quoniam enim Verres ex mandato et voluntate Dolabellae rem frumentariam tractaverat, quaecunque per leges repeti licebat, ea repetere socios oportuit non a Verre sed a Dolabella. Furta autem fuerunt manifesta. Etiamsi enim defendi aliqua ratione potuit, quantum frumenti in usum exercitus insumptum esset tantum socios dedisse, quod distributum non erat, id certe aversum erat aperte et sociis restituendum. Deinde neque ex pecunia quam a praetore acceperat neque ex ea quam a civitatibus exactam illi reddidit intervertere quidquam Verres potuit, nisi aut ex pecunia, quam aratoribus oportuit pro frumento dari, certis nominibus deductiones fecisset, aut pluris frumentum aestimavisset quam quanti se aestimasse Dolabellae significaverat.

Iam dilucide patere arbitror quid sit quod Verres et solvisse Dolabellae et accepisse ab eo pecuniam tradatur, deinde cur Verris furta necessario aestimata sint Dolabellae, denique quae furta insint in tribus illis nominibus. Restat nunc ut dicamus, quamobrem Verres rationes ad aerarium referre noluerit antequam Dolabella condemnatus esset. Cuius rei quam Cicero ipse subiicit causam, noluisse Verrem rationes referre nisi condemnato et eiecto eo qui reprehendere posset, diligenter cavendum est ne ad ea furta referamus, de quibus hoc loco egimus. Ea enim ita cognita erant ex Verris tabulis, ut nihil prorsus attineret eorum causa rationem non referre; ad hoc, si verum est quod supra disputavimus, ne induci quidem recte potuit illorum nominum neque primum neque secundum in quaestoriam rationem publice relatam. Immo ad alia furta pertinet, quae multa Verres commiserat, quae omnia homo prudens et in hoc genere fraudis exercitatus velare et tegere facile potuit, eiecto praetore et abrogata fide rationibus quas ille ad aerarium retulerat.

De cibariis praetoris comitumque iam nobis expositoris, cum verbum in duas pluresve sententias accipi possit, ante omnia accurate definiendum est quid illud sit de quo disputetur. Dicimus autem hoc loco cibaria pecuniae certam quandam summam, quam praeter tabernacula supellectilemque et praeter frumentum pecuniamve eius nomine decretam attributam esse contendimus magistratibus ad ceteros vitae usus necessarios. Eiusmodi igitur cibaria comites magistratuum accepisse, facile illud quidem est ad cognoscendum. Apparet enim ex Verris rationibus quaestoriis, quas Cic. in Verr. I, 14 memoriae prodidit, legatos, quaestorem, cohortem praetoriam praeter frumentum nummos nec eos stipendii nomine accepisse. Praeterea commemorantur cibaria et quaestoris et praefecti a Cicerone ad fam. V, 20 et ad Att. VI, 3. Cibariorum igitur nomine illam pecuniam solutam esse, probabiliter inde potest confici. Quae sententia bene confirmatur a Pseudo-Asconio ad illum Verrinarum locum haec adnotante: *Haec omnia nomina sunt erogationum, quibus aut stipendium militibus dedisse se dicit Verres aut frumentum coemisse in annonam, aut legatis*

aut proquaestori in sumptum (dedisse: eis enim) *alimenta de publico dant.* Maiorem difficultatem habet altera quaestio, quae est de cibariis praetorum; neque tamen ne de his quidem admodum dubitari possit.

Antequam unius imperio subiecta est respublica Romanorum, inter magistratus eorumque ministros cum multa intererant, tum hoc, quod illi omnes, maximi infimi, gratuito, hi mercede conducti operam navabant reipublicae. Gratuitam autem operam reipublicae navare, aliud erat Romanis, aliud est nobis. Operam pretio vendere et quaestui habere rempublicam, hoc quidem turpe illi putabant et homine ingenuo liberaliterque educato indignum; suo autem sumptu reipublicae operam praebere et publici muneris causa rem familiarem diminuere aut perdere, tantum aberat ut quispiam legibus cogeretur, ut ipsa respublica large et copiose suppeditaret quaecunque ad victum cultumque pertinebant. Haec enim ratio ac magnitudo animorum in Romanis erat, ut, cum in privatis rebus minimo contenti tenuissimo sumptu viverent, in imperio atque in publica dignitate omnia ad gloriam splendoremque revocarent. Haec erat eorum aequitas et iustitia, ut tuendam dignitatem magistratuum et conservandam maiestatem populi Romani sumptui aut oneri esse nollent neque civibus qui muneribus publicis subeundis, neque sociis qui vectigalibus tributisque conferendis abunde reipublicae satisfacerent. Vere igitur, non gloriandi causa Fabricius haec, quae legimus apud Dionysium frgm. XVIII, 14, videtur dixisse: *Οὐκ ἐνοχλεῖ τοῖς ἑκάστου βίοις ἡ πόλις ἡ Ῥωμαίων, ὥσπερ τινὲς ἕτεραι, ἐν αἷς ὁ κοινὸς μὲν πλοῦτος ὀλίγος ἐστὶν, ὁ δὲ τῶν ἰδιωτῶν πολύς· ἀλλ' αὐτὴ παρέχει τοῖς πρὸς τὰ κοινὰ προσιοῦσιν ἅπαντα, ὅσων δέονται, λαμπρὰς καὶ μεγαλοπρεπεῖς ὑποτιθεῖσα χορηγίας· ὥστε μηδὲν ἀτιμότερον εἶναι τὸν πενέστατον τοῦ πλουσιωτάτου κατὰ τὴν ἐπαξίωσιν τῶν καλῶν, ἀλλὰ πάντας εἶναι Ῥωμαίους, ὅσοι ἂν ὦσι διὰ καλοκἀγαθίαν τούτων ἄξιοι τῶν τιμῶν, ἀλλήλοις ἴσους.* Ornabantur igitur praetores mulis, tabernaculis, supellectili, vasis argenteis, veste, annulis aureis [59]); permissum erat praeterea ut frumentum in cellam sibi sumerent et attribuebatur pecuniae certa summa qua emerent illud frumentum. Quid igitur? Cum fere omnia, quae ad victum cultumque pertinent, large praetori suppeditarentur, num credibile videtur, eum paucis quae reliqua sunt caruisse? Cum non modo ii qui cum potestate aut legatione in provinciis versabantur, sed omnes omnino qui reipublicae causa Roma aberant alimenta de publico acciperent [60]), num consentaneum est, iis qui dignitate et potestate omnes antecedebant consideran dum fuisse ut esset unde sibi suppeditarentur sumptus necessarii?

At nihil opus est coniecturas capere. Historia loquitur. M. Tullius Cicero, cum contra eius voluntatem et praeter opinionem accidisset ut ei cum imperio in provinciam proficisci necesse esset, persuasum sibi habuit, se propter earum rerum, in quibus versatus esset, gloriam et invidiam, nisi summam laudem ex illa provincia asse-

---

[59]) Liv. XLII, 1, XXX, 17, l. 7 D. de sup. leg., Val. Max. II, 2, 7, Cic. in Verr. IV, 5, Plin. N. H. XXXIII, 4.

[60]) Plut. Ti. Gracch. 13. Sic legati sumptu publico missi esse diserte traduntur a Cic. in Verr. I, 22 et magistratuum ministris praeter mercedem cibaria dabantur, cf. Frontin. de aquaeduct. art. 100 ed. Pol.

quutus esset, vix evitaturum esse summam vituperationem. Quamobrem nec hibernorum nomine pecunias a civitatibus exegit, nec quod tanquam vectigal praetorium muneri dare civitates consuerant accepit, nec ullum omnino sumptum fieri passus est neque in se neque in legatos neque in quaestorem neque in quemquam [61]); ne multa, totum animum, curam cogitationemque ita posuit in abstinentiae laude undique colligenda, ut quamquam summa expectatione in provinciam venerat, opinionem tamen omnium superaret. Ille igitur si scripsit ad fam. V, 20, Ephesi apud publicanos HS bis et vicies se deposuisse eamque pecuniam ad se ex provincia salvis legibus pervenisse; unde tantos provinciae fructus censemus eum percepisse? Cum toto anno imperii sui nummum nullum neque privatim neque publice erogatum esse ipse saepius glorietur, cum de praeda sua praeter quaestores i. e. populum Romanum teruncium nec attigisse nec tacturum esse quemquam affirmet ad fam. II, 17, cum denique ex frumenti iniqua aestimatione lucrifecisse vix possit eiusmodi quaestus acerrimus reprehensor; quid superest unde illum quaestum natum esse putemus, nisi ex cibariis? Item ea pecunia, quam Q. Ciceroni Asiae praetori aerarium debuisse supra p. 8 docuimus, in eius ipsius non in publicum usum decreta videtur fuisse, propterea quod M. Cicero eandem ex aerario depromptam in suam rem convertit [62]), publica autem pecunia Romae relinqui non potuit, quin qui reliquisset in reprehensionem iustissimam et gravissimam incurreret [63]).

Iam illam pecuniam, quam cibariorum nomine praetori datam esse modo demonstravimus, quaestoris curae non esse commissam, per se est probabile neque longam orationem desiderat. Paulisper tamen consistere et commorari cogit hic locus Ciceronis ad fam. II, 17: *Quod scribis ad me de drachmis CCCIƆƆƆ, nihil est quod in isto genere cuiquam possim commodare. Omnis enim pecunia ita tractatur, ut praeda a praefectis, quae autem mihi attributa est, a quaestore curatur.* Etenim si Manutius et ceteri interpretes illam a quaestore curatam pecuniam recte intellexerunt eam quae ex praeda divisa Ciceroni attributa erat, nostra sententia stare nequit, quippe ex qua quaecunque praetoris fuerit, non publica pecunia ad quaestorem non pertinuerit. At ille locus neque recte exhiberi nobis videtur, neque recte explicari. Sallustius, Bibuli in Syria quaestor, cum decessurus de conficiendis rationibus laboraret nec ratio accepti et expensi satis constaret, petiit a Cicerone ut centum milia drachmorum sibi commodaret et eos quidem ex publica pecunia; neque enim de Ciceronis re familiari hoc loco agi, ex eo cognoscitur quod Cicero respondet, nihil esse quod in illo genere cuiquam possit commodare. Ad publicam autem pecuniam si Sallustii postulatum pertinet, Manutii explicatione accepta, excusatio qua Cicero utitur partim inepta partim non sufficiens videtur esse. Quid enim attinet ei, qui publicam pecuniam sibi commodari vult, respondere, partem rei familiaris et partem publicae pecuniae ab aliis tractari? Quamobrem illam pecuniam intelligo sumptum annuum

[61]) Cic. ad Att. V, 21 et 16.
[62]) Cic. ad Q. fr. I. 3.
[63]) Cic. p. leg. Man 13, in Pis. c. 35.

Ciceroni ad provinciam administrandam attributum, et pro *curatur* legi volo *curetur*, quam veterem lectionem, cum codex Mediceus exhibeat, miror ab Orellio in textum non esse receptam.

De comitum cibariis si deinceps quaerimus, ex senatusconsulto de publico a quaestore provinciali ea numerata esse, neque praetoris fuisse potestatem statuendi quantum cuique tribueretur, verisimile videtur esse et confirmatur illud quidem rationibus saepe iam a nobis laudatis, quas Verres ex quaestura retulit, hoc vero Gavii cuiusdam, cui Cicero praefecturam detulerat, his verbis: *unde me iubes petere cibaria praefecti*[64]); certus enim cibariorum modus si non fuisset, haec fere ei addenda fuerunt: quantum cibariorum nomine me iubes accipere. At iterum rem prope iam explicatam duo Ciceronis loci perturbant atque impediunt. Gavio enim illi respondit Cicero, se non instituisse iis dare cibaria quorum opera non esset usus, et Verres Siciliae quaestores ex suis cibariis liberaliter tractasse traditur a Cic. in Verr. II, 2, 4; ita ut per praetorem stetisse videatur non solum quantum dare vellet, sed etiam num quid dare vellet. Sed quae contraria esse videntur et inter se pugnantia, eadem praeclare inter se cohaerere is facile intelliget, qui rationem duxerit et multiplicis illius verbi significationis et consuetudinis praetorum in comitibus educendis egrediendi numerum legibus concessum.

Et primum quidem vox cibariorum, praeterquam quod eam de qua agimus pecuniam significat, etiam saepius ponitur de frumento in cellam[65]). Quod cum et comparare et comitibus exercituique assignare sine dubio praetoris esset, duplex ei oblata est occasio ad asseclas beneficiis ornandos. Primum enim legitimum frumenti numerum, quem singulis dare debebat, augere poterat, nam de eo, quod ipsi superabat, facile erat aliis gratificari. Neque admirandum est, quod illud pergratum comitibus fecerit; plerique enim, etiam qui inferiore loco erant, ministros multo plures quam pro alimentis publice datis secum in provinciam videntur eduxisse. Hoc est beneficium, quo affecisse videtur Verres illos quaestores, qui liberaliter ex eius cibariis tractati esse dicuntur. Altera largitio fuit illa quidem eiusdem generis, sed etiam iniustior et perniciosior, decoctorum perfugium ac solatium, labes et pernicies provinciae. Ut frumentum ipsum, non pecunia eius loco asseclis a praetore daretur, bene institutum erat legibus, et ita semper habitum observatumque est, quamdiu veterum praetorum frugalitas et severitas comitum pravas libidines coercuit. M. Cato certe, qui consul eodem cibo eodemque vino quo remiges ipse usus est[66]), *nunquam ego*, inquit, *evectionem datavi, quo amici mei per symbolos pecunias magnas caperent. Numquam ego argentum pro vino congiario inter apparitores atque amicos meos disdidi neque eos malo publico divites feci*[67]). Postea vero, corruptis iam depravatisque moribus, ubi plebes libertatem suam cum republica venalem habere et ma-

---

[64]) Cic. ad Att. VI, 3, 6. Gavio autem revera praefecturam a Cicerone delatam esse, colligere possumus ex Cic. ad Att. VI, 1, 4.

[65]) Cic. in Verr. III, 93. Varro L. L. IV, 16. Quintil. V, 13.

[66]) Val. Max. IV, 3, 11. Fest. s. v. navibus. Plin. N. H. XIV, 13.

[67]) Fronto epist. ad Antoninum I, 2.

gistratus provincias non populo, sed creditoribus amicisque administrare coeperunt, nec quisquam sibi putavit turpe quod alii fuerat fructuosum; praetores pro frumento pecuniam fere comitibus assignabant et permittebant ut ex suis litteris, quae diplomata aut symboli appellabantur [68]), ipsi illi a civitatibus frumentum exigerent. Quo factum est, ut comites illi quidem commodum, quod in iniqua frumenti aestimatione inest, adipiscerentur, socii vero iam praetoris avaritia vehementer labefactati omnibus fortunis funditus everterentur comitum iniquitate atque iniuria. Quae res cum ex Catonis severitate aliquo modo colligi possit, tum patefacta nobis est hoc pertenui argumento indicioque. Cicero ut Caecilium quaestorem criminum societate cum Verre coniunctum esse demonstraret, in frumento imperato hoc ei crimini dedit, quod ne qua deductio publicae pecuniae fieret non prohibuisset, in frumento autem aestimato sive in cellam, quod idem atque Verres ipse fecisset [69]). Idem autem Caecilius facere non potuit, nisi Verres antea permiserat, ut ipse sibi frumentum a civitatibus exigeret.

De altero praetoriae largitionis genere iam nobis disputaturis exordium capiendum est ex potestate, quae senatui erat, accurate definiendi, et quot et cuius generis comites praetor secum educeret [70]). Cuius instituti si causam quaerimus, senatus videtur prospexisse ne praetores quotquot vellent amicos in provincia publico sociorumve sumptu alerent locupletarentve. Quare cum certo tantum numero cibaria de publico attribuerentur, deferendi erant ad aerarium praetori comites et quot et quales essent. At multo maiorem numerum, quam senatus concesserat, praetores fere secum educebant non solum propinquorum, amicorum, doctorum virorum consuetudinis cum iis habendae causa, sed etiam eorum quibus honores mandarent et sui muneris aliquam partem concederent. Neque id quidem mirum. Quicunque enim studiis et opera in petitione praetorem adiuverant, quicunque aliquid voluntatis in eum ostenderant, quicunque unquam in amicorum numero habiti erant, et latius patet amicorum nomen in petitione quam in cetera vita; omnes posteaquam provinciam locupletem patrono obvenisse audiverunt, accurrunt, enumerant quae ex liberalitate illius sibi promissa et ostentata sint, repetunt officii praemium et fructum [71]). Inde non in laboris et muneris sed in beneficii loco deferebantur honores et parum aberat

---

68) Cic. ad fam. VI, 12. Plin. ep. X, 121. Fronto l. l.

69) Cic. div. in Caec. 11.

70) Senatus consulta equidem afferre non possum, quae talia constituerint; colligi autem id quod demonstrandum est ex iis legibus potest, quibus vel provinciae extra ordinem vel alia publica munera demandata sunt. Veluti lege Gabinia numerus legatorum, qui bello piratico Pompeium adiuvarent, et lege Clodia numerus adiutorum definitus est, qui Catonem in Cyprum comitarentur, de qua re v. Plut. Cat. min. 34. Eodem modo Rullus lege sua agraria accurate praescripserat, quot et cuius generis ministris decemviri uterentur (cf. Cic. or. de leg. agr. II, 13), et ex senatus consulto curatoribus aquarum publicarum uti licebat lictoribus binis et servis publicis ternis, architectis singulis et scribis et librariis, accensis praeconibusque totidem, quot habebant duumviri per quos frumentum plebei dabatur. cf. Frontin. de aquaed. art. 100 ed. Polen.

71) *Illud cogita, nonnullorum amicorum studia minui solere in eos, a quibus provincias contemni intelligant.* Cic. pro Mur. 20.

quin praetores amicos in provinciam quasi in praedam aperte invitarent [72]). Duplex igitur erat genus eorum qui praetoriam cohortem constituebant: unum erat qui praetori publice adiutores dati de publico cibaria accipiebant, alterum eorum qui ultra legitimum numerum praetorem sequuti aerario non erant sumptui. Illis cum honores mandabantur, formula erat sollemnis, *praetor defert aliquem ad aerarium praefectum, tribunum* cet., his dicebatur praetor deferre praefecturam, tribunatum, cet., quae tamen formula etiam de illis recte poterat adhiberi.

Quos secundo ordini adscripsimus, eorum alii honores provinciales sibi expetebant ut populo se commendarent et aditum sibi ad urbanos magistratus patefacerent, alii, plerumque negotiatores, ut magistratus auctoritate et vi instructi cum alia negotia privata commodius tractarent, tum hereditates et syngraphas efficacius persequerentur. Illi, cum iniquum esset ut suo sumptu reipublicae operam navarent, ex praetoris cibariis quo se suosque alerent videntur accepisse congiariorum nomine; vox enim congiarii semper ad donum spectat, et congiariis donati esse traduntur et L. Plancus, Caesaris legatus et amici qui Augustum peregrinantem comitabantur [73]). Ceterum ita inveteraverat in republica Romanorum iam a bonis temporibus, ut eiusmodi liberalitas et benignitas a praetoribus postularetur, ut, cum Cicero de provincia decedens ex annuo sumptu sibi decreto HS X referre in aerarium statuisset, ingemisceret praetoria cohors, omne illud putans distribui sibi oportere.

